

## No. 369. 1318.

*Conrad von Spremberg erklärt seine Zustimmung zu dem zwischen den Vormündern der Hinterlassenen des erschlagenen Burggrafen Hermann von Golsen und dem Kloster Dobrilugk abgeschlossenen Vergleich. Vgl. No. 367.*

Nos Conradvs dictus de Spremberg omnibus hanc literam inspecturis publice profiteamur, quod discordia, quae inter amicos domini Hermanni, burgrauii de Golsyn ex parte una et inter monasterium Dobriluc ex parte altera ratione occisionis eiusdem burgrauii et ratione damnorum ibidem illatorum volvebatur, est composita penitus et sopita ipsa compositione facta rite et rationabiliter, ad placitum et voluntatem tutorum heredum domini burgrauii iam praedicti, videlicet venerabilis domini Withegonis, Misnensis episcopi et sui fratris domini Henrici dicti de Colditz suiue sororii domini Iohannis dicti de Senftemberg aliorumque plurimorum, quorum nomina brevitatis causa huic scedulae non omnia inseruntur. Cui tam amicabili compositioni nostrum consensum damus plenarie et assensum. In cuius rei testimonium praesentem literam dedimus nostri sigilli munimine roboratam. Datum anno domini MCCCXVIII.

Nach dem Orig., jedoch ohne Angabe des Aufbewahrungsorts desselben bei Ludewig rell. mss. I. p. 285.

## No. 370. 1319. 15. März.

*B. Withego II. beurkundet, dass das vormals bischöfliche Allod zu Zscheila mit diesem Dorfe und allen dazu gehörenden Rechten vom Capitel durch Kauf erworben worden und diesem gegen alle fernere Einsprache zustehe.*

Nos Wythego dei gratia episcopus ecclesiae Misnensis tenore praesentium publice protestamur, quod dominus Wy. felicitis recordationis episcopus Misnensis, praedecessor noster, allodium in Schylowe cum villa ibidem ac omnibus suis pertinentiis . . praeposito, . . decano totique capitulo dictae ecclesiae nostrae iusto venditionis et emptionis interveniente titulo vendidit pro certa summa pecuniae quantitate. Nobis vero, qui eadem divina disponente clementia ad officium pastorale eiusdem ecclesiae sumus vocati, dubium de agris seu mansis, quos coci nostri et praedecessorum nostrorum pro eorum servitio nobis nostrisque praedecessoribus inpenso tenuerunt, fuit exortum, utrumque ad nos aut ad capitulum supradictum spectare deberent, tandem multis tractatibus cum canonicis dicti capituli hinc inde habitis, de veritate praetactorum bonorum omnium et mansorum informati fuimus et sumus sufficienter. Quare bona supradicta omnia et singula in Schylowe sita sive censualia seu feodalia cum eorum iuribus et utilitatibus supradicto Misnensi capitulo plene et libere dimisimus, nihil iuris in eisdem bonis nobis aliquatenus reservantes, ita quod ipsum capitulum de praedictis bonis pro commodo et utilitate ipsius ordinandi plenam et liberam habeat omnimode potestatem. In cuius rei testimonium sigillum nostrum praesentibus est appensum. Datum Misnae anno domini M<sup>o</sup>.CCC<sup>o</sup>.XVIII<sup>o</sup>. feria quinta post dominicam Oculi mei, praesentibus